

Epistola ad Lignitrad. t  
fulda zu Halle Jan. 1835.

25 45  
MISSILIA

ET

Carmina gratulatoria

dicata

NOVIS HONORIBVS

VIRI AMPLISSIMI CONSUL-

TISSIMI QVE,

DN. IOHANNIS

LVNINGI,

Serenissimo Principi ac Domino, Dn. AVGV-

STO, Brunsvic. & Luneb. Ducis à consiliis

aulicis, Confessorii & iudicii pro-

vinc. Assessoris,

Qui quarto Cal. Mart. *FVRIS VTRIVS-*

*QVE DOCTOR* solenniter in illustri Iulia

*proclamabatur.*



HELMESTADI,

Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.

Anno 100 100 XLVI.



*Viro Clarissimo*

Dn. IOH. LVENING I.V.D.

*VIR CLARISSIME,*

**D**ostquam de profectio[n]e Tuâ ad Iuliam intellexi, non Tuâ tantum causâ lætatus sum, sed & meâ. Tuâ, quod post exhaustos, quos studiû[m] juris deposcit, labores, & superatas omnis generis molestias & difficultates, maturâ jam ætate, jucundum curarum fructum capias, & quod à teneris optasti, cuique Te magnâ animi contentione hæctenus parasti, ut iustitiæ nimirum mysta esses, & sacerdos, id nunc publicè, favente & adplaudente frequentissimo lectissimorum Virorum cætu, renuncieris & proclameris. Quî in Te jamdudum meritum, collatus honos, ut in Nominis divini gloriam, Reip. labascentis fulcimentum, Tui Tuorumq[ue] decus & ornamentum vergat, Deum Omnipotentem oro. Meâ etiam causâ gaudeo, quòd quondam admotus institutioni, bonarum me literarum stu-

A 2

diis



diis, sine quibus ad majora nullus est profectus,  
imbuere fategeris. Si enim, ut ille ait, haud pa-  
rum interest, à quo illa accipias, meritò mihi  
gratulor, Tuo aliquando ductu fretò, cum  
præter fidem, cujus ego testis, præclara tua E-  
ruditio nemini non perspecta est, quæ etiã pu-  
blico jã testimonio condecoratur. Testimo-  
nium namq; virtuti Tuæ nunc perhiberi exi-  
stimo, quæ sui ipsius commendatrix optima  
nec fucati splendoris egena, Sereniss. Dominũ  
Parentem meum haud ita pridem movit, ut  
in Consiliariorum suorum numero Te quo-  
que esse juberet. Quã ratione, cum Tuam re-  
munerari fidem & diligentiam, ne tempus  
frustra contrivisse, ætatis florem consumpsis-  
se conqueri posses, voluerit, exemplo com-  
moneo, quanti me illa facere oporteat. Id  
verò de me Tibi pollicere, quod gratitudinis  
leges sanciant, nunquam videlicet, quoad  
potero, ornandæ Tuæ Dignitati defuturum.  
Vale, & Dnn. Professores omnes & singulos,  
meo nomine, peramanter saluta. VVolf. 18.  
Februar. 1646.

*Tibi benevolentiss.*  
**RVDOLPHVS AVGVSTVS**  
*Dux Brunsv. & Luneb.*



**C**uncta Dei nutu fiunt, fatoq; potenti,  
Suoq; quodq; destinato tempore.  
Quos celebres dudum, LVNINGE, mereris honores,  
Æqui boniq; deditus scientiæ,  
Iustæ suspendens causas de lance statera:  
Reis & auxilium ferens parentibus,  
Quin patriæ in dubiis consultis fortiter adstans  
Rebus, nec ullis cedere in periculis;  
Illi nunc demum tibi decernuntur honores,  
Hæc jam brabeja conferuntur debita,  
Ipsaq; invidiâ frustra nitente serenus  
Involveris virtutis infulis sacris.  
Sic solitum est: Quos diva Themis magnis augmentis  
Addixit, hos dubios tenet diutius,  
Et magis exercet, magis ut digni efficiantur,  
Votis fruisce dulcoribus ratis.  
Ingredier splendens habitat quod Gloria templum,  
Non per datur nisi laboris atrium.  
Gratulor hanc sortem, LVNINGE, tibiq; favorem  
Hunc seriò Cæli precor diutinum.  
Est propè, sit felix! nitidum jam præ foribus Ver,  
Ver tempus anni sæpè jucundissimum,  
Delitiis Cytheræa sinum cum pandet amœnum,  
Cornu profundens omne copiæ suum,  
Gramina prata dabunt, pulchros redi viva reducent  
Flores futuris arboreta frugibus.

A 2

Te

Te quoq; oportebit frontem explicuisse severam,  
 Habendo susq; deq; pœnitudinem;  
 Hactenus austeris curis & iungere leta,  
 Quæ sunt magis naturæ amica dædala,  
 Leta, quibus vita hæc profertur, & ordine longo  
 Series acervatur piæ propaginis.  
 Iam functus momentosis, hæc prendito leta.  
 Camœnæ amant nostræ vicissitudines.  
 Quintum & eas pronus gratas tibi gratuler auras,  
 Non præcavebit livor invidissimus.

L. M. q; F.

Philippus Moringius V. I. D.  
 Cancellarius Br.

P A S S E R I S ; sed non CATVLLIANI,  
 Vituperium & Encomium.

**P**ASSERIS obfuscant compluria crimina Vitam:  
 Semina jacta solo subripuisse solet;  
 Sæpè licet variis mirisque ostenta figuris  
 Ponantur mediis (terror inanis) agris.  
 P A S S E R I B V S natura salax, & plurima virtus,  
 Et solet in Venerem pronior esse furor.  
 Hinc tot pullorum fæcundo ex corpore fetus,  
 Et patrios stipant gens numerosa Lares.  
 Adde, quod in sacræ Passer laquearibus ædis,  
 Pipilat, Antistes dum sacra verba facit.  
 Tot pariter maculas laus hæc tamen una rependit,  
 Quod sævas Passer non imitatur aves,  
 Queis mos & volupe est prædari, & vivere raptos;  
 Hæc segetum, cædis nescia, grana legit:

VITIA

r.

Rapacitas.

z.

Salacitas.

3.

Inconcinnitas.

VIRTUTES.

r.

Manfuetudo & Lenitas.

tas.

At

Ast Aquilæ, Accipitres & Milvi semper in armis  
Prælia cum innocuis sanguinolenta gerunt.  
Sed neque crimen id est; nova pignora ferre quotannis  
Terque quaterque. Almi hæc vis solet esse DEI.  
Et licet in Venerem sit avis lascivior æquo,  
Vnde instat brevior funeris, hora sui;  
Casta tamen semper castâ cum conjuge vivit,  
Nec nidum foedo turpat adulterio.  
Nec, velut inconstans aliarum turba volucrum,  
Instanti profugus frigore mutat humum:  
Sed qui cuncta suo moderatur Numine, tutum  
Hunc facit, ut pluvias, despiciatque nives.  
At simul adproperat Veris clementia, tecto  
Profilit, & cœli cœrula summa petit;  
Sicque Creatori vocem, qualem indidit offert,  
Et grates grato pectore promptus agit,  
Fallor? an à parvi restat tibi *Passeris* ortu  
Nomen? & à spretâ nominis omen ave,  
LVNIGI? nosti contentus limite fortis  
Excercere suo munia iusta loco.  
Te dum laudati stimulatix Fama laboris  
Alcidæ tritas iussit inire vias,  
Condecorant nivei mores, & gratia vultus:  
Vindicam, quid sis? *hercule magnus homo es.*  
Quoque prior virtus, properat nova gloria cursu,  
Cæsarioque Themis cingit honore comas.  
Scilicet hi laudum cumulos comitantur honores,  
*Ignavus* probrum, præmia *gnavus* habet.  
Virtutes sequitur sed crimina *Passeris* odit:  
Ille *salax*, huic mens, ingeniumque *sagax*.  
Vnus Apollo, novem concordi mente Sorores  
Cum Peitho, Charitum blandula triga, Themis,  
Quæris,

Castitas.

Castitas.





Quæris, vbi pariter sub eadem sede morantur  
Numina? LVN INGV S nempe tot unus habet.  
Nam causas ratione regit, pietate tribunal,  
Et fallax sociâ religionis forum;  
Hinc longè majus laudis meruere trophæum  
Consilium prudens, aptaque temperies;  
Et cata dexteritas, Themidisque laborifer ardor,  
Divitis & rarum pectoris eloquium,  
Vivit in hoc Genius longum victurus in ævum;  
Mentis & ingenij stat sine fine decus.  
Te victurum omnes clarabit adorea in annos,  
Dedita ad Eoas, Hesperidumque Domos  
Delectent alios *Doctura* insignia Mystras,  
*Doctrinâ* titulos asserere, lane tuos;  
Et placitura DEO supplex fer vota. Sed heus tu!  
Elige, cui dicas; Tu mihi sola places.  
Sic gemino radians ornamine, *Passeris* instar,  
Castè cum castâ conjuge vive, Vale.

CASPARIS KLOCKI IC.  
Comitis Cæs. Palat. & Cancel-  
larii Stolbergici &c.

**O**Mnia dispereunt mundo quæ pulcra videntur,  
Sæpeq; divitias fors inimica rapit,  
Perpetuùm verò virtus doctrinaque rerum  
Durat, in hisque nihil fors sibi juris habet.  
Optime Lueningi, fulget tibi pectus utrisque  
Dotibus, & VVELFFO gratus es inde DVCI:  
Hinc de consiliis te PATRIA maçtat honore,  
Iamque novis ornat IVLIA nominibus.

Henricus Hahn D. & Pand. in Acad.  
Julia publ. Prof.

Iam

**I**am dudum meriti tandem tribuuntur honores,  
LVNINGI, merito; dignum Te IVLIA namq;  
Talibus haut nuper declarat honoribus; ipsis  
His immò titulis Dux augustissimus ipse  
Censuit AVGVSTVS dignum, dum nuper in Aula  
Esse Senatorem voluit. Bene quod iubet ipsa  
Nunc Astræa, lubens age; rubrà tempora mitrà,  
LOTICHI venerande Scnex, qua fulgeat ostra  
Nunc onera Tyrio; gemmatum fulgeat aurum  
In digitiū nodis; digno consuetaq; fige  
Oscula. Tu tanto, LVNINGI, mactus honore,  
Vlterius posthac consueto tramite perge  
Currere; pra reliquis verò Tibi publica cordi  
Res sit; prudens, pius, optima consule; latum  
Discedas prisca, catus, à Virtute nec unguem,  
OPTIME: Sic certò bene quos Tibi grator honores  
Evenient; non livor iners, non ipse nocere  
Vel stygius poterit Demon. Mens conscia recti  
Et Superum dius favor omnia noxia pellunt.

Ita suo gratulatur Luningio  
Iohan. Dörre D.

**Q**uod mundus concors agit, & pugnancia fœdus  
Semina robustum perpetuumq; tenent.  
Quod suus est cursus Phœbo, Lunæq; bicorni,  
Quod vaga non extrà limitem oberrat humus;  
IVSTITIAE donam est, cui TE, LVNINGE, dicasti,  
Ergò & IVSTITIAE se Tibi Diva dicat.  
Differis è Cathedrâ, Cathedraq; ornaris eadem,  
Quum datur Amplexus, Gemma; Tiara, Liber.

Amico suo percharo Altdorphio misit  
M. Iohan. Paulus Selwinger Metaph. &  
Log. Prof. Publ.

Nec

**N**Ec prædam acquirit miles, nisi fortiter antè  
Pugnârit; nec alacris gratam athleta coronam,  
Ni certârit: ubi certamen pugnaque fauste  
Successit, merito præda illi, istique corona  
Debetur: sic res geritur benè & ordine justo.  
Nulli namque venit rectè sine pulvere palma.  
Musarum in castris versantem vidit Apollo  
Te primum, facili multumque favente Minervâ,  
Barbariem puris sermonum invadere telis;  
Dein Logicæ gladio jugulare sophismata falsa;  
Pòst etiam vitijs pugnas inferre severas,  
Et Virtutis ope hunc hostem devincere tandem.  
Talem te misit Themidi propriumque dicavit  
Phoebus LVNINGI: excepit Diva illa benignè,  
Iuridicæque suæ adscripsit propensa catervæ:  
Cumque in justitiæ augustâ jurisque palestrâ  
Non minus egregiè & plures haud segniter annos  
Certantem, ac varios rationis acumine nodos  
Legum solventem dextrè; tum jura per ulum  
Sæpius aptantem factis, dubiosque clientes  
Summâ ope tutantem conspexit, talia fatur:  
Strenuus athleta hic juris, milesque togatus  
Annon promeritus prædam amplam? nonnè coronâ  
Dignus honorificâ est? dixit: jussitque Decanum  
LOTICHIUM (modò quem & Seniore[m] illustris ad  
Elmum  
JVLIA juridici coetûs Academia honorat)  
Cingere ritè caput rubro, mollique galero,  
Et nomen titulumque tibi Doctoris utroque  
Conferre in jure: hunc meritum jam lætus honorem  
Gratulor, ac opto eveniant felicia porro.

B.

Imò



Imò alia, hanc præter, te præda exspectat opima,  
Quam nunc luctanti post paulò Aphrodita datura est.

*Fautori, Collega atque Amico suo singulari  
applaudens fecit*

*Vernerus Philippus Eberdingk  
Dicasterij Guelfici Adfessor.*

**Q**uantò invisa magis reddunt hæc tempora fastus,  
Lis & livor edax, iniuria, visq; dolusq;  
Tantò desudent magis hi, queis sanior est mens,  
Tam tetra nullo non Marte resistere pesti,

*Et misera damno patria pro posse mederi.*

*Anne aliud tua vult, LVNINGSI amplissime cura?*

*Non sanè: incolumis tuus est respublica finis.*

*Hoc tua facta docent, docet aala, probantq; clientes,*

*Iuris amor, pietas, candor, sententia recti.*

*Hinc rerum AVGVSTI satagis, foraterna iuvando*

*Arte & consilio dextro linguâq; diserta.*

*Quin Themis alma tuo studio iam præmia reddit,*

*Doctorisq; tibi confert insignia ritè.*

*Sola suos virtus sis nempe extollit honorat!*

*Grator id ex animo; Domini clementia faxit*

*Amplius ut decus hoc in publica commoda vergat.*

*ita*

*votivo animo & sincero affectu*

*gratulatur*

*Henricus Iulius Hasenfues.*

**S**cala Schola est, in qua Studijs gradus infimus Alpha-  
Betum est: DOCTORVM Purpura summus honor:  
Sed reliquis gradibus cum sint discrimina mixta  
Ardua, vix est, qui culmina summa petat.

**Hos**

Tu generosiores, LVNINGI Amplissime: summa  
Iam petis & DOCTOR Iure in utroque cluis.  
Gaudet ob hoc PRINCEPS: Academia IVLIA plaudit,  
Et summi pangunt Carmina quique Viri.  
Iure-peritorum primus LOTICHIUS offert  
Id, quo jamdudum nomine dignus eras.  
Nonne tuæ quondam fidei commissus is est, qui  
Principis AVGVSTI nomen & omen habet.  
Consiliarius es Magni Ducis: auguror inde  
Magnum Te fore, cum nos levis umbra sumus.  
IVSTITIAM Tibi dat Sponsam Themis alma diurnam:  
DOCTRICEM Veneris Filius addat Amor.  
Maeste novo titulo, Patrone colende, mihi que  
(Cujus causa Tibi non malè nota) fave!

*Ita precatur*

*M. Ioachimus Hildebrandus;  
Poeta L. Caf.*

**O**ptarem Clarios olim suxisse liquores  
Nectaris Aonij, doctisque Aganippidos undis  
Labra rigasse, sacro Musarum percitus œstro:  
Non tunc carminibus nostris indictus abires,  
LVNINGI, Eunomiæ divæ prænobile sidus,  
In Te Pieridum præstantia dona Sororum  
Congessisse Deos certatim divite cornu  
Cernimus, hinc Sophiæ veræ virtutis & omnis  
Cultorem teneris postquam nutrit ab annis  
Te Phoebus, linguam formavit & aurea Peitho,  
De meliore luto & finxit tibi pectora Pallas,  
Instillans menti mores gravitate politos:  
Inde sacri voluit te magna volumina juris  
Nocturna versare manu versare diurna,  
Nec retro Phoebo fertur spes irrita: namque

B 4

Impiger



Impiger Eunomiæ celebrata sacraria divæ  
Et delubra Dicæ, Musis plaudentibus, usque  
Intrasti, vastos juris legumque recessus  
Emenius, post tot varios certaminis æstus,  
Quicquid Baldus opum quicquid quoque Bartolus olim  
Produxit Themidi sacræ venerabile, id omne  
Invicto studio vigilique labore parasti  
Artis amore Tibi: fructu cum laude laborum  
Hinc frueris, magnus dum consiliarius audis  
Principis AVGVSTI, dum Te Tritonia Pallas  
Sacris Cæsareis scitis nunc imbuit, atque  
Ipsa Themis pictam Tibi donat flore coronam.  
Hinc tibi partus honos nullo delebilis ævo,  
O Musis decus, o patriæ gratissime civis,  
Gaudeo sorte tua, sincero corde precatus,  
Unius in laudem omne Dei hoc, hominumque salutem,  
Atque tuam ipsius vertat Deus ille Deorum,  
Crescat honor, crescat semper tua gloria, porro  
Et justis & rectis sibi conscia lactea virtus,  
Vnde olim æthereæ frondis decoreris honore.

*Observantia ergo*


f.

*Joach: Christopherus Bentemeister  
Guelferbycanus.*




4/c 37

VD17







25 45  
LIA

tulatoria

ORIBVS  
MI CONSVL  
VE,

ANNIS  
NGI,

omino, Dn. AVGV.  
eb. Duci à consiliis  
& iudicii pro  
foris,

TRIS VTRIVS.  
niter in illustri Iulia  
atur.

TADI,  
VLLERI, Acad. typ.  
XLVI.

